



W. 40.





*DISSE*  
*RAT*  
*O IN AVGVRALIS IVRIDICA*  
DE  
*SOCIETATE MERCATORIA*

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO  
ERNESTO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE, IULIACI, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE RELIQVIA  
SVMMO TOTIVS CAESAREI EQVITATVS PRAEFECTO, ITI-  
DEM LEGIONIS EQUESTRIS PARITER AC PEDESTRIS  
TRIBVNO CAESAREO

S V B P R A E S I D I O  
IO. RVDOLPHI ENGAVII, D.

COD. ET NOVELL. P. P. O. CVRIAЕ PROVINC. ASSESSORIS  
SCABIN. COLLEG. SENIORIS ET FAC. IVR. h. t DECANI  
PATRONI ET PRAECEPTORIS SVI PIE DEVENERANDI

PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQUE IVRE HONORES CONSEQUENDI  
AD D. VIII. I V L. A. O. R. MDCCXLVII.

H. L. Q. C.  
ERVDITORVM EXAMINI PVBLICO SVBIICIT

A V C T O R  
IOACHIMVS TANCK

LVBEC.

\*\*\*  
IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.



INCLYTAE  
REIPVBЛИCAE LVBECENSIS  
SENATVI SPLENDIDISSIMO

VIRIS  
MAGNIFICIS, ILLVSTRBVS,  
GENEROSSIIMIS, PRAENOBISSIIMIS,  
CONSVLTISSIIMIS, AMPLISSIMIS PRUDEN-  
TISSIIMISQVE

DOMINIS  
DN. CONSVLIBVS  
DN. SYNDICO  
DN. SENATORIBVS  
DN. PROTONOTARIO  
DN. SECRETARIIS

MAECENATIBVS AC PATRONIS SVIS  
SVMMO PIETATIS CVLTV VENERANDIS

IN-



IN AVGVRALEM HANC DISSERTATIONEM  
SVMMA ANIMI DEVOTIONE  
OFFERT  
**TANTORVM VIRORVM**

*Cultor obsequiosissimus*  
**IOACHIMVS TANCK.**



### §. I.

Societas mihi dicitur conuentio, quam duæ pluresue personæ de certo fine coniunctis viribus quærendo inierunt. Societas sunt

### §. II.

Itaque pro diuersitate finis unitis viribus quærendi non potest non uariare. Sic (1) in publicam, qualis est ciuilis, academica, monastica, equestris sacra &c. & priuatam, cuius commatis est u. c. metallica a), die Gewerckschaft, dispeſcitur.

a) LEISSER iur. georg. III. 24. 73. sqq.

### §. III.

Dein (2) uel licita est uel illicita, prout saluti publicae prodest uel obest, aut saltem prodefit. 2) uel licita uel illicita.

A

uel

uel obesse uidetur legibus. Itaque illicitam u.c.  
habeo societatem, quæ pro - & monopolium infert  
*b*), usurariam prauitatem sapis *c*), ad alendas con-  
cubinas communesue amicas recipiendas\* tendit,  
ad hæc uel illa delicta committenda inuitat, aut,  
ut annona carior reddatur, efficit *d*).

\* Eiusmodi societatem, si  
fides habenda ERASTO in ep.  
ad Pellicanum, apud HOT-  
TINGERVM bistor. eccles. To.  
V. p. 595. extante, Iulius III.  
pontifex maximus & Crescen-  
tius Card. olim inierunt, at-  
que ui illius omnes meretri-  
ces communes habuerunt,  
communibusque sumitibus  
aluerunt.

*b*) R. Imp. 1548. 1577. tit.  
die schädlichen Vorkauffe belan-  
gend. Colon. de A. 1512. §. Und  
nachdem &c. GRASS de pro-  
polio iure prohibito.

*c*) WERNHER p. V. obs.  
224.

*d*) KLOCK de aerario lib. I.  
c. 14, nr. 106, sq.

#### §. IV.

*Inter licitas  
celebra-  
tur  
mercatoria,  
qua diui-  
ditur*

Inter societas licitas celebratur *mercato-  
ria*\*, quæ quandoque audit *hanse* \*\* *Mascopey* \*\*\*  
*e) compagnie Handlung*, atque describi potest duo-  
rum plurimumue conuentio de mercibus, numis  
uel operis, lucri ex negotiatione licita quærendi  
gratia, in commune conferendis.

\* De

\* De qua societate in antiquis Germanorum legibus haud quidquam inuenitur; nec hoc silentium miror, si quidem temporibus, quibus istae Leges conditae sunt, uix ea fuit ratio commerciorum in Germania, ut ideo in societatem coire uellent mercatores.

\*\* *Hanse* est uocabulum, uetusioribus Anglis & in Saxoniam inferiori degentibus usitatum, quo olim qualibet societas, dein mercatoria, tam publica quam priuata, denotabatur. STEPH. SKINNERI etymol. linguae Anglicanae p. 1. & 3. sub h. u. HENR. SPELMANN *Glossa* u. *Ausæ* & *Ausen*. SCHILTERI *Glossa* u. Ansa & Hansa. Sic in priuilegio Leonis Guthonibus A. 1163. & Philippi Neaportensis A. 1168. dato liberorum ab *hansa* nomine ueniunt, quibus negotiandi facultas competit, licet nomen ciuitatibus hanseaticis uix dederint. Conf. MICRAELII obs. ad HELMOL-

DI *Chron. Slavor.* §. 13. ap. Per Illuſtr. de WESTPHALEN monium, inedit. To. III. f. 1918. A quo uocabulo: *Hanse*, multa descendunt alia, ueluti *Hanse Städte* siue urbes ad libertatem commerciorum in regnis exteris coniunctis uiribus tuendam associatae, *Hans Townes* i. e. ciuitates sociæ, ap. SKINNERVM c. libr. h. u. *Hans in Kelder* i. e. socius celiae penariæ, *Hanseln*, i. e. in societatem recipere, *bänsisch* ad commercii societatem pertinens, V. SCHOTTEL de singular. quibusdam & antiqu. in Germania iuribus c. 26. §. 31. *Hansgrav*, comes uel iudex societatis mercatoriæ, qualis Ratisbonæ constituitur ui priuilegii a Friderico II. Imp. Ratisbonensibus A. 1230. indulti, quippe in quo haec uerba leguntur: *ciues potestatem habebunt eligendi HANSGRAVIVM*, qui disponat & ordinet extra ciuitatem & non intra, ea tantum quæ respiciunt negotia nundinarum. Vid.

A 2

KNIP-

*KNIPSCHILD de iuribus & pri-  
uilei. ciuit. imper. lib. III. c. 43.  
nr. 19.*

\*\*\* Etymologia huius vocabuli admodum dubia est.  
*HEINECCIVS Elem. Iur. Germ.*  
lib. II. §. 407. not.\* illud ex  
*magschafftey*, quo ius cognationis denotatur, contractum,  
atque propterea, quod socii ad instar fratrum esse videantur,  
usu receptum habet. Cui adstipulatur *MANTZEL* in se-  
lect. *Rostoch.* fasc. 3. spec. 14.  
not. 1. simul adiiciens, quod nominis *mien Maschop*, quo  
Rostochii unus socrorum appellat alterum, illustratio ab  
idiomate, ui cuius plebs unicum amicum nominet *sien Fründschop*, peti debeat. Iam  
quidem certum est, quod vocabulum: *mag* cognatum, si-  
ne illum, quem uel communis utilitas uel fors aut dele-  
ctatio in unam societatem amiciamue combinavit, & *magschafft* cognationem denotet,  
nec inusitata sint vocabula *Schwerd- Spill- Nagel- Magen*;

tamen Heinecciana deriuatio  
mili displicet, quoniam 1) non  
memini me legere, nomen  
*Magschafftey* societati merca-  
toriae tribui, & 2) Germanis  
usitatum fuisse, adhibitis ter-  
minationibus, uocabula, quae  
terminanda erant, adeo ob-  
scurare, ut ab aliis discerni  
nequeant; quod certe hic  
factum fuisset, quum sublati  
terminationibus *scop*, *ey*, sola  
syllaba *ma*, qua neque cognatus  
neque alias denotatur, unice  
remaneat. Me quidem iude-  
cere a *mas* & *scop*, quorum il-  
lad mensuram siue normam  
metiendi, hoc uero *consortium*  
denotat, deriuandum est. Sic  
cognoscere licebit causam, cur  
plerumque tabernariam mer-  
catorum societatem significa-  
uerit, & adhuc significet ho-  
die; itidem, cur cum dupli-  
cata littera *s*. scriptum fuerit,  
& alibi scribatur.

e) *Der Graffschafft Hohenlohe gemeinsames Land-Recht p. III.*  
tit. 9. *Ius Lubec.* lib. III. tit. 9.

§. V.

## §. V.

Quid? quod pro diuerso genere negotiatio-<sup>1)</sup> *in ter-*  
 nis, unde lucrum queritur, uariat societas merca-  
 toria. Iam quum negotiatio sit uel *εμποριη*,  
 quæ inter gentes disritis intercedit, uel *ναυηλι-*  
*η* siue tabernaria, atque illa iterum in *ναυηληγίαν*  
 & *Φορτηγίαν* diuidatur: apparet ratio, cur socie-  
 tas mercatoria quibusdam uel *grossa* uel *taberna-*  
*ria*, illaque iterum uel *terrestris* uel *maritima* f)  
 esse dicatur.

f) IOH. MARQVAR D *merciorum singulari* lib. II.  
 de iure mercatorum & com- C. II. nr. 3.

## §. VI.

Per maritimam intelligimus eam, quæ ne- *maritimam*,  
 gotiationis in mari exercendæ intuitu celebrata  
 est, neutquam uero illam, cuius obiectum est  
 mutua contra piratas defensio g), atque nomine  
 illo: *Admiralschöp*, *Admiralschaft*\* uocatur.

\* De quo nomine uid. LOC-  
 CENIVS *de iure maritimo* libr.  
 II. cap. 2. *Hansee - Städtische*  
*Schifs-Ordnung*, tit. II. VII.  
 quam sifit & illustrat REI-  
 NOLDVS KÜRICKE *in iure*  
 A 3 *maritimo Hanseatico*; de ra-  
 tione uero naues sociales, &  
 ea quæ in illis deprehendun-  
 tur, aestimandi, ut hoc uel il-  
 lo infortunio eueniente, a quo-  
 libet, seruata proportionis le-  
 ge,

ge, feratur damnum, nonnula tradunt STYPMANN de iure marit. c.XI. nr. 52. sq. IOH.

LOCCENIUS c. I. §. 7.

g) STRVU. decif. Sabbath. c. XI. decif. 17.

### §. VII.

2) in generalem &amp; singularem

Utraque (2) in generalem & singularem diuiditur, prout ea ad omnem aut ad certam quan-

diam negotiationem \* exercendam tendit.

\* *Uniuersalem*, quæ ad omnia omnino bona, præsentia & futura, dirigitur, quæsita ea fint aut quærenda quo uelint modo, licet I. Lubec. p. III. tit. 9. a 5. sit probata, tamen lubens prætero, quum sit rarisima.

### §. VIII.

3) ex mente Savary in

Denique celebris ille SAVARY societatem negotiatoriam diuidit (3) in collectiua, eam, quæ uulgo dicitur *en Commandite, & momentaneam b).*

b) Parer. 65. ap. MARPERGERVM im Vorrath unterterschiedener, über allerhand, die Kaufmannschaft betreffende Vorfälle, eingeholten Re-

sponorum p. 217.

### §. IX.

collectiua

*Collectiua* dicitur, cuius leges iubent, sortem ab omnibus conferri sociis, eorumque, qui contulerunt sortem, nomina ad unum omnia in

lit-

litteris, societatis nomine exaratis, exprimi, hoc  
fere modo: *Dietz, Gebhard und Meuius*, uel  
*Dietz, Gebhard, Meuius in Compagnie.*

### §. X.

*Societas en commandite* dicitur (1) quando unus sociorum fortem alter operas confert, hicque proprio nomine negotiatur, atque contratu formulis suum, minime uero societatis nomen subscribit\*; (2) quando mercatores diuersis in locis habitantes sibi inuicem merces mittunt, hac tamen sub lege, ut quilibet suo negotietur nomine.

\* Qui negotiatur, audit quandoque *complimentarius, Nab-mensträger.*

### §. XI.

Quodsi mercatores de lucro, ex certarum coëmtarum mercium uenditione quærendo, inter se diuidendo conuenerint, societatem, cui nomen est: *momentanée, anonyme, atque, ex quorundam sententia, Compte en participation, contraxisse* dicuntur,

### §. XII.

## §. XII.

De societate mercatoria notari debent sequentia:

- I. Eam solo consensu perfici, atque
- II. iubere, illa adhiberi media, sine quibus lucrum quæstuarium obtineri nequeat, nec
- III. subsistere sine communione lucri, quod
- IV. ex negotiatione licita, cuius intuitu contracta est societas, prouenit.
- V. Socios singulari amicitia sibi inuicem iunctos esse debere.

## §. XIII.

*Societas,  
qua consen-  
su perfi-  
citur,  
&c'*

Ex primo (§. pr. I.) sequitur, ut (1) societas mercatoria (*a*) & uerbis & factis\* *i*), (*b*) uel pure uel sub certis legibus, (*c*) ad tempus modo certum modo incertum *k*), (*d*) tam simpliciter quam addita quadam pena conuentionali *l*), (*e*) a præsente non minus quam per internuntium, queat celebrari; (2) ut proprie socii dici nequeant, quos fortuna & casus, non consensus

con-

coniunxit, quales sunt coheredes, collegatiorum &c. m).

\* Hinc aliqui societatem mercatoriam in *expressam* & *tacitam* diuidunt, quarum haec ex illis actibus, qui citra ius societatis uix solent fieri, colligitur, utpote ex eo, quod diuersorum merces communii signo notatae, & libri rationum super earum negotiatio ne confecti communi titulo insigniti fuerint, aut literae mercatoriæ ita conscriptæ, ut earum conditor suum alteriusque nomen, nulla mandati mentione facta, subscripte sit.

HERTIVS de *societate facto constituta* §. 10. GABR. MVDAEV ad L. 31. sq. π. pro Socio. CARPZOV. lib. V. resp. 21. nr. 16. sq. LEYSER sp. 184. m. 1.

\*\* Societas & rerum communio haud parum differunt. Etenim (1) societas uel expresso uel tacito, rerum communio a lege propter aequitatem præsumto, consensu nititur, (2) communio, neuti-

quam uero societas, quo quis tempore potest dissolui, (3) communio iudicium familie herciscundæ aut communi diuidendo, societas uero actionem pro socio progenerat; (4) non quidem actione pro socio, tamen communi diuidendo iudicio tenetur pupillus, furiosus &c. HERTIVS c. d. secl. I. §. 17. Hinc (a) Graeci inter κοινωνίαν & κοινωνικά sollicite distinxerunt, HARMENOPVLO hoc docente lib. III. tit. X. §. 3. (b) doctores communioni nomen societatis uel plane non, uel addito cognomine *fortuitæ*, *necessariæ*, *impropriæ*, solent tribuere. V. CVIACIVS lib. X. obs. 25. BOGER Clasf. 2. disp. 5. th. 2.

i) l. 4. pr. ff. pro Socio. GERDES de *societate* §. 2. in Opusc. Vol. I. p. 87f.

k) L. 1. pr. π. eod.

l) L. 41. 42. eod.

m) L. 31. ff. pro Socio.

## §. XIV.

*cum quolibet fere iniri potest,*

Ex eodem consequitur (3) ut omnibus, qui consentire, atque merces, nummos, operasue, quibus ad negotiationem, quam intendunt, opus est, conferre queunt, neutquam tero furiosis aut prodigis, quippe quorum nulla uoluntas aut marito, qui communionem omnium bonorum cum uxore sua contraxit, hac inuita *n*), societatem celebrare liceat. Qua de re quaestione illam: *An feminæ societatem mercatoriam contrahere queant?* de qua nonnulli ferram contentionis reciprocant, quod ad mercatrices, simpliciter *o*), quod ad reliquas, si in locis, quibus cura sexus adhuc uiget hodie, curatoris consensum requirant, adfirmandam esse putarem.

*n) Ius Statut. Mindens. tit. VI, art. 2.*

*o) SCHVLTZENS d. de femina mercatrice. c. II. §. 41. seq.*

## §. XV.

Sic quoque (4) societatem inire potes cum quolibet homine libero, hic & alibi cohabitante, huic aut illi religioni addicto, nisi leges istius prouinciae, aut statuta istius loci, qua & quo ne-

go-

gotiari intendis, mercatorum extraneorum & diuersæ religioni addictorum iura reddiderint deterioria.

\* Sic u. c. in *Skraa antiqua* bānsch seyn, er sey gleich wer  
*& noua ciuitatis Susatens. art.* er wolle, *Gesellschaft oder Fa-*  
*95. legitur: unde unsē Borge-* *shoreyen anstellen. Quæ fere*  
*ren soll auch mit frömbten und* *eadem leguntur Recess. Han-*  
*uthwendigen Lüden nem Ge-* *sefat. de A. 1426. 1440. 1441.*  
*meinschop in Kopenschop hebben,* *1476. ap. MARQVARDVM c.l.*  
*ap. Per- Ill. Dn. DE WEST-* *II. 5. nr. 18. Vid. Ill. PRAESI-*  
*PHALEN c.l. To. IV. f. 3090.* *DIS Elem. Jur. Germ. lib. III.*  
*Nec minus Iure Lubecensi lib.* *§. CX. Cuius dispositionis ra-*  
*III. tit. 9. art. 2. scriptum le-* *tio sine dubio illa est, ne extra-*  
*gimus: es soll kein bānscher* *nei ciuum iura & commoda*  
*mit denenjenigen, welche nicht* *singularia per indirectum par-*  
*participarent.*

### §. XVI.

Denique ex eodem (§. XII, i.) constat (5) *non quidem*  
*societatem mercatoriam probari quidem, nec ta-*  
*men indigere, scriptura p), nisi de hac specia-*  
*tim conuentum sit q). Multo minus opus est iu-*  
*diciali illius confirmatione, nisi de hac expresse*  
*disponant leges istius loci, quo negotiatio exer-*  
*cenda est, aut partes ita conuenerint r).*

p) *Der Stadt Franckfurth* q) *STRVV decis. Sabbath.*  
*am Mayn erneuerte Reforma-* p. 499.  
*tion p. II. tit. 23. §. 1.* r) *SAVARY ap. MARPER-*  
*GERVM c.l. p. 211.*

B 2

§. XVII.

*tamen determinatio-  
ne sortis  
&  
operarum  
indiget.*

Quandoquidem finis societatis mercatoriae, quoties sors merciumue copia deficit, aut dene-  
gantur operae, obtineri nequit; quisque socio-  
rum sortem conferre, operasque praestare de-  
bet, & quidem suo tempore modoque congruo  
(§. XII, 2.). Ne uero huius uel illius sortis colla-  
tione, aut uariarum operarum praestatione sibi  
inuicem impedimento sint in lucris consequen-  
dis, utramque satis, licet non eodem semper  
modo, determinare solent socii. Sic mox ean-  
dem sortem ab unoquoque sociorum conferri,  
atque operas æqualiter inter eos distribui, mox  
ab uno magnam sortem, eamque in numis non  
mercibus consistentem, conferri, ab altero,  
præter collationem minoris sortis, operas praes-  
tari iubent. Sic quoque diem, quo exordium  
capiat societas, quoque singulis annis conficia-  
tur inuentarium, & reddantur rationes, statuunt,  
atque de signo societatis communij, de subscrip-  
tione in literis societatis adhibenda &c. coine-  
niunt.

## §. XVIII.

Illud tamen simul sentias uelim, socium, ad operas societati præstandas obligatum, neque personam institoris, *eines Factors, Nabmenträgers*, siue pro certa mercede negotiationi cuidam præfecti, propterea que nec lucrum nec damnum inde proueniens participantis, gerere, neque eundem semper esse, quem uocamus *complimentarium*, siquidem hic non nisi in societe en commandite dicta occurrere solet (§.X.).

## §. XIX.

Lucrum ex sociali commercio proueniens inter socios commune est *s*) (§. XII, 3.). Tantum uero abest, ut ea omnia, quæ uni uel alteri sociorum ex causa lucrativa obuenerunt *t*), aut ex delicto tertii per actionem iniuriarum uel ex L. Aquilia adquisita sunt *u*), communicentur, ut ne quidem quæstus, quem unus & alter sociorum extra sociale commercium fecit, habeatur communis *x*).

*s*) VINNIUS qu. 54. cc. f. *u*) a. I. 52. §. 16. π. cod. Stat.

*t*) 9. π. pro Socio. Ref. Hamb. II, 10. 7.

*Francof.* p. II. tit. 23. §. 13.

*x*) *Ius Lubec.* c. l. art. 4.

## §. XX.

## §. XX.

*nentiquam  
uero fōrs,*

Sors, prout illius dominium aut usum contulerunt socii, uel sociorum communis uel conferentis propria est. Id quod notare debet decisurus quæstionem: *Cuinam ea pereat?* Sic u. c. domus, quam quis sub lege societatis quibusdam mercatoribus accommodauit, ut in ea negotientur, manet accommodantis propria, atque huic incendio cremata perit; contra sors in numis consistens, post oblationem societati factam perdita, huic perit  $\alpha$ ), siquidem illius dominium, a quo periculi pendet ratio, post oblationem commune fuit  $\beta$ ).

$\alpha$ ) a. L. 52. §. 3.  $\varpi$ . pro So-

cio. 58. §. 1. eod.  $\beta$ ) EYBEN ad Institut. disquis.

XVII. obf. I, nr. 17.

## §. XXI.

*inter socios,  
ex æquis  
partibus,*

Est uero lucrum inter socios ex æquis partibus diuidendum  $\gamma$ ). Quandoquidem uero æquaæ partes dicuntur uel *simpliciter*, pro sociorum numero, ita ut unus tantum, quantum alter, accipiat, uel *relate*, habita ratione quantitatis sortis, uel pluralitatis operarum ob unoquoque col-

collatæ, ita ut quo maiorem aut minorem sortem quis intulerit, uel quo plures operas præstiterit, eo plus aut minus accipiat lucri: inquirendum erit, quænam partes in societate mercatoria dicantur æquæ. Evidem relata quantitatatem attendendam esse cum HARTMANNO  
PISTORE a), CARPOVIO b), TELLERO c),  
STRVPIO d), HVBERO e), aliisque statuerem, quoniam æquitas inter inæquales æqualitatem, uel inter æquales inæqualitatem uix patitur. Quam sententiam quoque pleraque firmant statuta, ex quibus *Hamburgensia, Norimbergensia & Francfurtana* nominare licebit. In ipsis enim sequentia f): *Wann zween oder mehr in eine Masscopeny zusammen treten, oñn alle Vormorte, wie es mit dem Gewinn und Verlust soll gehalten werden, und folgends Streit zwischen ihnen vorfällt: so soll ein jeder des Glücks und Unglücks, nachdem er Geld, Wahre oder Arbeit zu der Gemeinschaft angewandt, proportione Geometrica, zu genießen haben; in illis uero haec legitimus g): So aber kein besonderliche Mass oder Anzahl des Gewins und Verlusts ausgedrucket und*

und bestimmt würde, so soll derselbe nach Anzahl eines jeden Gesellschafters dargelegten Hauptguts, gerechnet und geteilt werden. Denique Iure Francofurtensi b) ita statutum est: Wann kein Mass noch Anzahl, wie es mit Austheilung des Gewinnes soll gehalten werden, der Gesellschaft Verschreibung einverleibt, dass der Gewinn nach Anzahl jeden Gesellschafters Capital und Hauptguts solle ausgetheilet werden.

- |  |  |
|--|--|
| z) §. 1. Inst. de societ. 29. pr.              | d) exerc. ad π. XX. th. 30.            |
| π. pro Socio.                                  | e) praelect. ad Inst. c. l. §. 3.      |
| a) lib. III. qu. 1. nr. 6.                     | f) p. II. tit. X. art. 4.              |
| b) p. II. const. 30. def. 38.                  | g) Ref. Nor. tit. 18. leg. 1.          |
| c) d. de diuisione lucri & damni inter socios. | h) Ref. Francof. p. II. tit. 23. §. 3. |

### §. XXII.

Unde sequitur, ut sociorum ille, qui durante societate partem sortis repetiit, non omne lucrum, quod prateritis annis, ui legis aut pateti, percepit, in posterum exigere queat, sed illius detractionem pro rata diminutæ sortis admittere teneatur i).

i) STRVV. decif. Sabbath c. XI. decis. 28.

### §. XXIII.

## §. XXIII.

Ab æquali illa lucri diuisione nonnunquam pacto recedunt socii. Quod si fecerunt, siue ex hac causa, quod, qui eandem sortem contulerunt, ad operas sociales, diuersi generis, præstandas sint obligati, siue ex alia; eam in instrumento societatis solent exprimere hoc fere modo: *soll ihm in Ansehung der grossen Mühe und gefährlichen Reisen, so er bey dieser Mascopey zu übernehmen hat, ½ vom profit, und nur ½ vom Schaden zuwachsen k.*

k) STRYK *de caut. contract.* sect. II. c. 10. §. 4.

## §. XXIV.

Ita tamen conuenire nequeunt, ut unus omne lucrum, alter omne damnum consequatur. Eiusmodi societati, *leoninæ* l), uel, ut HOFF-MANNO m) uisum est, *theoninæ*, nomen dedit Cascius.

l) 29. §. 2. ff. pro Socio.

m) meletem, academ. ad. lib. π. XVII. §. 4.

## §. XXV.

Sic quoque, qui sortem contulit citra animum

mum lucrandi, aut hac lege, ut, præter illam suo tempore restituendam, quotannis certam numerorum summam absque calculo, uti loquuntur, & nulla casuum fortuitorum, si qui obtigerint, ratione habita, recipiat, nullam societatem mercatoriam, si uel maxime hoc nomine usus, sed illo casu donationem n), hoc uero mutuum prauitate usuraria infectum contraxisse uidetur.

n) §. 2. π. pro Socio.

### §. XXVI.

*argue, non  
nisi prævia  
deductione  
expensarum*

Lucrum uero non intelligitur, nisi deductis expensis, quæ in negotiationem factæ sunt o). Quibus inter alias annumerantur: *Buchhalter und Diener* salario, *Haus-Contoir- und Gewölb-Zinss, Frachten, Zölle u. d.*

o) L. 12, & 27. π. pro Socio.

### §. XXVII.

*damni,  
quod ex ne-  
gotiatione,*

Communio lucri secum fert illius damni, quod societati de qua loquimur circa negotiationem & inde sperandum lucrum obtigit, iustum communionem, etiam in societatis formula non

non nominatam. Id quod probe cognouit mercatoriarum rerum peritisimus P A V L . I A C . M A R -  
P E R G E R , qui decisum XI. celebris SAVARY , quod  
probauit, h. u. retulit p): -- wäre nicht anders zu  
verstehen, als dass dasenige erst Profit genennet  
werden könnte, was nach abgezogenen Verlust  
überbliebe. Dahero bey den Kaufleuten die Con-  
to von Gewinn und Verlust eine Rubric wär, in  
deren Debet der Handlungs-Schade, in dem Cre-  
dit aber der Profit gesetzet würde, was alsdenn,  
nach Abzug ienes, von diesem noch übrig bliebe,  
das würde erst Profit genannt. Itaque, si finge-  
re licet, Titio socio, dum proficiscitur ad mer-  
ces sociales coëmendas, & nummos & alia a la-  
tronibus surripi, damnum & humorum & alia-  
rum rerum, quas secum non tulisset socius, nisi  
ad merces communi nomine comparandas pro-  
fectus esset, commune haberem q).

p) in dem Vorrath unter-      q) MEVRERS d. de eo, quod  
schiedlicher, über allerhand, die inter socios iustum est, c. 6.  
Kaufmanschaft betreffende Vor-      §. 19.  
fälle, eingehoblten Responforum  
p. 202.

*non aliunde  
uenit,  
potest di-  
uidi.*

Ea uero damna, quæ unus & alter sociorum extra societatem perpeſſus eſt, aut committendo hoc & illud delictum \* ſibi attraxit r), cum reliquias communicantur minime; haud aliter atque æs alienum, quod unus & alter sociorum extra ſocietatem contraxit, ſociale non habetur.

\* Illustr. LEYSERVVS spec. approbauerint reliqui.  
187. m. 2. hanc addit exce- r) Ref. Nor. tit. 18. leg. 2.  
ptionem: *nisi socii delictum §. Ob auch.*

## §. XXIX.

*Quid  
de danno  
circa for-  
tem contin-  
genre  
ſtaruen-  
dum?*

Quodſi uero damnum circa ipsam fortem, ad dominium collatam, contigerit, uidendum eſt: num ſocii de partibus damni ferendi conuenerint nec ne. Illo caſu pacto omnino ſtandum eſt, ſiue nulla, ſiue inæqualis pars uni & alteri aſsignata fuerit. Tantum enim abeſt, ut damni huius generis communio ad ſocietatis noſtræ ſubſtantiam pertineat ut potius iure conſtet, ſocios poſſe conuire, ut quis lucri partem ferat, de danno non teneatur s).

s) §. 2. I. de ſociet. LAV- rum in ſocietate coniug. illat.  
TERBACHII d. de periculo re- c. 2. §. 26.

## §. XXX.

## §. XXX.

In casu autem posteriori partes damni, sicuti lucri, æquæ debent esse; &, si in societatis instrumento aliæ partes lucri expressæ fuerint, damni nullæ, eadem ratione damni probatæ uidentur t), contrariorum enim eadem ratio debet esse atque proportio Posterius Statutis Hamburgenſ. dispositum est u) sequentem in modum: *Wann Mascopœy-Brüder sich eines gewissen vereinigt haben, welcher geſtalt der Gewinn von ihrem eingebrachten Gelde oder Waaren foll getheilet werden; auch hernach über Zuverſicht kein Gewinn, besondern Schade befunden wvird, so soll dasienige, wwas von dem Gevvinn verabscheidet, auch in dem Verluſt gehalten wverden; prius uero legitur in Codicillo iurium ciuit. Megapol. cuius uerba art. X. ita ſonant: Obwohl allhie Geſellschaften und Mascopœyen nicht viel gebraucht wverden, so müſſen doch dieienigen, so allhie Mascopœyen mit einander haben, Gevvinst und Verluſt zugleich tragen, geniesen und entgelten.*

t) §. 3. I. de societ.

u) p. II. tit. X. §. 6.

C 3

§. XXXI.

*Negotiatio-  
nem licitam  
instituentes*

Quandoquidem societatem nonnisi intuitu negotiationis licitæ contrahere, & lucrum inde quæsitum communicare licet (§. XII. 4): ad intelligendum est facile, cur de mercibus, quas ex prouincia exportari, aut in illam inferri prohibent leges\*, lucri quærendi causa, in commune conferendis conuenire sit illicitum.

\* Sunt autem merces prohibite, Contraband-Wahren, uarii generis, mox rudis materia domestica, qua ad opificia sua indigent opifices, mox ea omnia, quæ ad bellum instruendum, aut ad hostem subleuandum faciunt, mox alia. Vid. Ill. AYRERI

S.R.I. Princeps politiam circa commercia & studia ciuium suorum adornans §. XIV. p. 56. seq. & quæ c.l. laudauit scripta, quibus adscribi queunt HEINECCI d. de nauibus ob mercium illicitarum vecturam commissis. STEPHANI d. de rebus exportari prohibitis.

### §. XXXII.

*babenetur  
fratres.*

Singulari amicitia sibi inuicem socii debent esse iuncti (§. XII, 5). Hinc(1) societas ius quod-dam fraternitatis in se habere z), atque uoluntarium fratum consortium esse a) dicitur, (2) discordiae inter socios natæ magis ex officio amoris & affectionis, quam secundum regulas stricti iuris,

ris, & (3) plerumque secundum formulam arbitrii quorundam mercatorum \* decidi debent b).

\* *Pareres*, sive iudicia, quæ mercatores ad facti quandam speciem, sibi uel a iudice uel a priuato missam, tulerunt, significant, quid inter mercatores receptum sit, neutiquam uero iura tradunt. MARQVAR'D de iure mercat. lib. III. c. 6. nr. 52. MÜLLER ad STRUVIVM exerc. XXV. th. 45. lit. y. Notatu omnino digna sunt uerba, quibus SAVARY usus est dans ses pareres p. 212. il arrive quelque fois, que les juges envoient devant les marchands les proces pour donner leur avis sur des questions du fait, qui sont en usage dans les commerces, & dont ils ne savent pas la pratique, mais jamais ils ne les renvoient sur des questions du droit parce qu'ils savent bien que c'est une matiere que les marchands negotiants & banquiers n'entendent pas, c'est ainsy que des bons & sages juges en usent en semblables occasions en separant toujours le droit d'avec le fait. Vid. etiam MATTH. SCHLÜTER II. von einer zu Recht beständigen Gewohnheit. tit. 17. §. 8.

z) L. 63. pr. π. pro Socio.  
a) L. 52. §. 8. eod.

b) MARPERGER im neueröffnetem Handels Gericht c. 3. cc. f. p. 68.

### §. XXXIII.

Quæ cum ita sint, atque amicam Christianorum cum Iudæis conuersationem prohibeant canones: sunt quidam, qui Iudæos cum Christianis societatem mercatoriam inire posse negant,

*R. An Iudei  
dæi possint  
esse socii?*

ad

ad R. I. August. de A. 1551. c) prouocantes. Verum enim uero in citato textu nihil quidquam de societate mercatoria legitur, sed hæc tantum: (1) ut ne obligationis formula, a Christianis Iudæo data, ualeat, nisi eam uel conceperit uel confirmauerit iudex debitoris ordinarius; (2) ut ne Christianus actionem, quæ Iudæo contra Christianum competit, numis redimat, disponuntur, addita clausula: *Doch sollen den Iuden die aufrichtige Handthierungen und Commercien in den offenen freyen Meffen und Jahrmarkten hiermit ohnbenommen seyn.* Hinc intrepidus statuerem, Iudæum christianorum mercatorum socium fieri posse in locis, quibus protectione fruitur, dummodo negotiatio istarum rerum, quarum ei cum Christianis intercedit commercium, instituatur.

c) §. diesem zu begegnen 79.

### §. XXXIV.

*Societas in  
alias  
personas*

Societatem quamcumque socius meus, me inuitio, in alios extendere nequit, sed, quem socium, me inscio, adsumsit, sibi non mihi reddit socium d). Itaque adsumtus cum illo tantum, qui

qui eum adsumsit, lucrum & damnum communicat, &, si quid damni nostræ societati attulerit, ille, qui eum adsumere nullus dubitauit, indemnitatem praestare tenetur e).

d) L. 19. 20. 21. π. pro ges̄t. To. III. tit. Socius c. 2.  
Socio. STRVV dec̄is. Sabbath. c. XI.

e) L. 23. eod. MARTA dī. dec. 5.

### §. XXXV.

Nec societas trahi potest ad alias res operas-  
ue, quam de quibus illius formula loquitur. Qua-  
igitur ratione socius bona, quæ citra sortem pos-  
sedit, aut inita societate extra hanc quæsiuit, te-  
neatur, aut æs alienum, quod uel ante uel extra  
societatem contraxit, possit cum reliquis com-  
municare, equidem non uideo.

*resue exten-  
di nequit.*

### §. XXXVI.

Societas, statim ac celebrata est, effectus  
producit suos, facitque, ut socius socio fidem  
datam seruare, atque speciatim determinatam  
sortem conferre, eamque societati, usque dum  
hæc dissoluatur, integrum relinquere, nec minus  
in socialibus negotiis peragendis eam, quam in  
suis

*Socius  
fidem da-  
tam serua-  
re, &*

D

suis præstare solet diligentiam, exhibere, itidem, si ipsam negotiationem in se suscepit, diarium, cui societatis nomen inscriptum est, rite confidere f), rationesque, ad quas tempore uel a lege g) uel conuentione determinato reddendas obligatus est, prævia inuentarii\* conscriptione, non in folle, sed ita, ut in datorum acceptorumque ueritatem inquire, nec non lucri & damni inter socios communis quantitas adiuueniri possit, reddere h) debeat.

\* Hoc quandoque iureu- nr. 38.  
rando corroborare tenetur, g) Reform. Nor. tit. 18.  
ut uel ex Statut. Hamburgens. leg. 5.  
lib. II. tit. 10. §. 2. cognoscere b) MARQVARD c. I. II, 11,  
licet. 31. 32. STRVV decis. Sabb.  
f) ESCOBAR de ration. c.X. c. XI. dec. 14.

### §. XXXVII.

Quam diligentiam si quis socrorum, summis necessariis impendens, præstiterit, horum intuitu, se a reliquis indemnem præstari, petere potest. Contra sineglingerenter egerit, non solum impensas repetere nequit, sed etiam societati damnum, quod dedit, resarcire tenetur i), si uel

uel maxime negligentiam suam cum diligentia;  
alio tempore societati præstata, compensare uelit *k*),  
atque lucrum hoc quæsitus multo maius sit da-  
mno illo dato.

*i) Statut. Hamb. II, 10, 13. cof. p. II. tit. 23. §. 8.  
Ref. Nor. tit. 18. leg. 2. Fran- k) L. 26. π. pro Socio*

### §. XXXVIII.

Socius ex contractu proprio solus obliga-  
tur *l*), si uel maxime a reliquis impediatur, quo  
minus eum adimpleat *m*); sin uero quemdam so-  
cietatis nomine, uel in illius rem celebrauerit,  
societas tenetur *n*), præfertim si socii ad unum  
omnes \* eum negotiatorem constituerint *o*), aut  
de eo, ut unusquisque complementum, quod  
uocant, dare possit *p*), expresse conuenerint.  
Quibus in casibus quilibet socrorum in solidum  
obligatur \*\* *q*), superhabita, instrumento societatis  
addita, clausula: *quod æs societatis alienum omnes*  
*socii pro sua virili exsoluere debeant*, nec obstan-  
te illo principio: quod periculum commune de-  
beat esse, siquidem, qui solidum soluit, actione  
pro socio ut *r*), sicque damnum uel debitum com-  
mune efficere potest.

D 2

\* Si-

\* Siue *expressè*, i. e. uerbis literis declarata, siue *tacite* i. e. ex factis & scientia ac patientia præsumta sociorum uoluntate, hoc factum sit, perinde est. Quodsi uero a quibusdam tantum, numero pluribus aut minoribus sociis, reliquis incisiis & inuitis, constitutus fuerit negotiator, contrahendo non omnes socios, sed illos tantum, a quibus negotiationi præpositus est, obligat, arg. 4. §. 2. π. de exercitor. actione. LAVTERBACH d. de *sociorum obligacione*, que oritur ex conuentione cum extraneis inita, c. VI. §. 30.

\*\* Sic ex adsecuratione, quam socius societatis nomine celebrauit, omnes in solidum obligari pronunciauit Rot. Gen. dec. 29. & mercatorem, qui ab uno uel altero socio aliquid emit, eum, quem uelit ex sociis, redhi-

bitoria in solidum conuenire posse, statuit MARQVARD c. I. II. 11. 13.

l) L. 52. π. eod Ref. Nor. tit. 18. leg. 3. §. ob aber. MARTA digest. To. III. tit. Socius c. 8.

m) LYNCKER dec. 1071.

n) Stat. Hamburg. II, 10, 8. LEYSER sp. 185. m. I. seq. MARQVARD c. I. nr. 12. Ius Lubec. III, 9. art. 5. ibique MEVIVS.

o) Ref. Francof. p. II. tit. 23. §. 9. LAVTERBACHII disq. de *sociorum obligatione*, que orietur ex conuentione cum extraneis inita c. III. §. 18. seq.

p) MARTA digest. To. III. Tit. Socius c. 14.

q) MARQVARD. c. I. II, 11. seq. CARPZOV II, 17. 12. 10. BAPT. COSTA tr. de *quota & rata* qu. 154. nr. 10.

r) Ref. Nor. tit. 18. leg. 3. §. Doch sollen. Francof. p. II. tit. 23. §. 9. seq.

### §. XXXIX.

Cessat societas mercatoria (I) *finita negotiatio-*

*Societas dis-*  
*solutur ua-*

*tione s), cuius intuitu, aut (2) præterlapsfo tempore, ad quod ea fuit inita t), uel (3) si hoc nondum præterlapsum, mutuo dissensu u); et (4) si non ad certum tempus, sed ad beneplacitum celebrata, uel saltem celebrata uidetur legibus, quolibet, tempestiuo tamen tempore\*, quilibet ei renunciare potest.*

\* Vid. Stat. Hamburg. II, 10,

10. Der Graffschafft Hohenlohe gemeinsames Land- Recht p. III. tit. 9. ubi uerba : nur muß es nicht zur Unzeit, und dem andern zum Schaden, oder aus einer Boßheit geschehen.

s) L. 65. §. 10. pro Socio STRVV exerc. XXII. th. 40.

t) L. 65. §. 6. eod.

u) S. C. h. Ref. Francof. p. II. tit. 23. §. f.

## §. XL.

Si quis uero societati renunciet intempestiuue u. c. negotio nondum finito, tempore, ad quod ea inita, nondum præterlapsò, die, quo alteri damnum imminere, sibi autem lucrum deferri satis cognouit &c. reliquos quidem, neutiquam uero se liberat\*, ita scilicet, ut damni particeps, lucri uero expers maneat x), nisi eam renunciacionis causam laudare queat, quæ iusta est dissolu-

D 3

uen-

*rio modo,  
speciatim*

uendæ societatis, ut si conditio, sub qua societas inita, nondum adimpta, nec adimpleri queat, quum socius in eum statum redactus sit, ut ea, quæ promisit, ad finem societatis consequendum, conferre nequeat. *y)* \*\*, aut istarum rerum, quarum intuitu negotiatio suscepta est, priuatus fit commercio *z*).

\* L. 14. & 65. §. 6. π. pro Socio. Neutiquam enim sub specie precarii, multo minus in societate onerosa, alterum fraudare licet.

\*\* Ut si socius monachus factus esset, & ad operas præstandas obligatus, reipublicæ causa diu abesse cogatur a. L. 16. h. uel furere inceperit &c. aut illius, qui forte conferre tenetur, bona publicata uel

ecclesiasticis annumerata sint, aut creditoribus in solutum data. Hinc publicata forte societatem dissolui, L. 65. §. 1. 12. h. dispositum est.

*x)* L. 17. §. 1. 65. §. 3. seq. π. pro Socio *FELIC.* de *societ.* c. 35. nr. 15.

*y)* L. 14. π. h.

*z)* 15. 65. §. 5. π. h. *HORN* Claff. XI. Resp. 81.

## §. XLI.

*morte unius socii.* Dissoluitur morte unius uel alterius sociorum *a*), adeo ut neque socii superstites defuncti heredes, neque hi illos, præterquam in societate uectigalium *b*), agnoscere teneantur socios, quoniam contrahentium consensus ultra personam, in

in quam declaratus est, extendi nequit c). Interim tamen heredes a defuncto cæpta explicare \* d) & quæ superstites, uel ignorantes socium mortuum esse, uel quod tempestiuæ societatem dissoluendi occasio nondum nata sit, secundum legem societatis peregerunt, rata habere tenentur e). Quæ probata legere potes in *Statutis Hamburgensibus, Reformatione Norica & Franfurtensi.* In istis enim sequentem in modum dispositum est: *Stirbt einer von den Mascopey Brüdern, so ist die Gemeinschaft dadurch aufgehoben, und ist der Erbe in der Masopey zu bleiben unverbunden.* Doch SO VON SEINEM VORFAHREN EIN GEWISSE R HANDEL ANGEFANGEN, und Unkosten darauf gewandt, ist der Erbe schuldig, denselben Handel auf Gewinn und Verlust zu vollenbringen; in illa uero hæc lex occurrit: *sie sind wideribren guten Willen, weiter oder länger, dann BIS AVF NECHST KUNFTIGE RECHNUNG darin zu pleiben, nit verpunden;* hæc denique ita disponit: *So erklären wir dass in solchen Fall weder die überlebende Ge-* sel-

*selfschaft die Erben wider ibren guten Willen zu sich in die Gesellschaft einzunehmen, noch auch hinwieder die Erben in die Gesellschaft (da ihnen dieselbe nicht annehmlich) LÆNGER ALS ZU DER NECHSTEN RECHNUNG ZU BLEIBEN schuldig seyn sollen, doch dass sie DASIENIGE, SO IHR VATER ODER VORFAHR, DEN SIE GEERBT, VERSCHRIEBEN UND BEWILLIGET HATTE, VOLLNZIEHEN UND LEISTEN.*

\* In libris βασιλικῶν hæc leguntur: ὁ κληρονόμος τῷ κοι-

b) 39. eod. 63. §. 8. 35. 37.  
eod.

γωνῷ τὰ παρὰ αὐτῷ ἀρχέντα

c) 65. §. 9. eod.

πληρώ.

d) 40. eod. 65. §. 9.

a) L. 59. π. pro socio.

e) 65. §. 2. 10.

## §. XLII.

Q. an socio-  
tas in here-  
des trans-  
eat?

Quid autem, si socii societati hanc legem scri-  
pserint, ut ea unius morte uix dissoluatur, non  
ne tunc in defuncti locum succedunt heredes, fi-  
untque socii? De iure Romano negandum hoc  
erit f), licet lex ista iureiurando corroborata fu-  
erit g); moribus uero Germanorum, quibus  
omnia

omnia omnino paſta, quæ neque naturali æquitati, neque honestati, neque reipublicæ contrariantur, habentur rata, cum BERGERO b), WERNHERO i), alisque adſirma- rem, præſertim ſi mox uenerit dies ad quem ea celebra- ta, aut heredibus a defuncto ſocio lex ſocietatis continu- andæ ſub poena priuandæ hereditatis k) ſcripta fit, ſoci- etasque citra damnum ſociorum ſuperftitum & defun- ctu liberorum continuari queat; ut ſi defunctus, preter ſortem, nullas præſtiterit operas, aut quas præſtit, ui- conuentioſis ſuperftites in ſe recipere uelint ſocii.

f) 59. pr. eod. i) p. I. obs. 167.  
 g) STRV decif. Sabbath. c.XI. dec.33. k) STRV c. l. dec. 34. MARTA  
 b) El. disc. for. suppl. p. II. p. 244. digest. To. III. tit. Societas c. 39.

§. XLIII.

Finita societate rationes discutiuntur, & postquam  
Saldo notatum est, plerumque subiicitur clausula: *salvo  
iure a Conto nouo, & cum reservatione rationum contraria-  
rum*, quæ hoc efficit, ut rationes certum liquidum inter  
partes constituere non uideantur, sed adhuc uitia mer-  
cum atque illiquidorum debitorum solutiones notari, &  
errores in calculo commissi detegi possint.

l) LYNNCKER *refol.* 639.

§. XLIV.

Rationibus discussis, ea, quæ post solutionem æris alieni, quod societas contraxit, deductionem impensarum in societatem factarum\*, resarcitionem damnorum, quæ unus & alter sociorum societatis intuitu percessus est \*\*, supersunt, ad soluendas fortes adhibentur, & quæ tunc sunt reliqua, qua lucrum inter socios *m*), uel ex aquis, uel ex illis, quas societatis instrumentum determinat, partibus diuiduntur.

\* Quæ vero socius negotiator in rem propriam impedit, aut luxu lusus perdidit, aut sponsione amisit, aut pœnae loco iudici soluit; ea in rationes mercatorias referre nequit, *M E V I S* ad *Ius Lubec.* p. III. tit. 9. a. 3. nr. 37. seq.

nes mercatorias referre nequit, M E V I V S  
ad *Jus Lubec.* p. III. tit. 9. a. 3. nr. 37. seqq.

ad Ius Ludec. p. III. tit. 9. s. 3. art. 3.  
\*\* Uf si socius negotiator, rerum  
comparandarum gratia ad peregrina lo-  
ca

16

*Finita  
societate ra-  
tiones red-  
duntur*

ea profectus, in latrones inciderit, si-  
que numos perdidet, aut aliis, dum re-  
stitutus institor ad fugam erumpenti, ab  
hoc vulneratus, propterea que sol-  
lure coactus fuerit &c. 61. n. h.  
Damorum & impensarum deductione  
nondum facta, nullum lucrum intel-  
ligitur (§. XXVI seq.). Hinc formu-  
la illa: *Wann einer derer Compagnons  
sterben würde, sollten die längstleben-  
de des verstorbenen nachgelassenen Wit-  
tib und Erben die Summa des profits*

bis an den Tag seines Todes zahlen,  
damni & imperiarum communionem  
uix excludit, sed tam lucri quam da-  
mni communioni eundem terminum  
ponit. Vide SAVARY parer. XI. ap.  
MARPERGERVM im Vorrath unter-  
schiedener, über allerhand, die Kauf-  
mannschaft betreffende Vorfälle, einge-  
bokhten Responförum und kaufmänni-  
scher Pareres p. 201.  
m) I. Lub. c. l. a. I.

## §. XLV.

*sortes cum  
lucro distri-  
buuntur.*

Quilibet enim sociorum repetit sortem suam n),  
ad usum communicatam, nisi ex alia atque societatis cau-  
sa perierit o). Ad dominium communicata in numis,  
aut iis deficientibus, in mercibus & nominibus restitu-  
tur p). Quandoquidem uero illiquida & difficilioris exactio-  
nis sunt nomina, uel temporis sumtuum molestiarum-  
que habenda ratio in iis adsignandis, ut, præter lucrum  
cessans, pensentur sumtus & molestiae, uel communi ope-  
ra sumtuque ea sunt exigenda.

\* Idem iure, quod in patria mea  
promulgatum est, dispositum legimus  
h. u. Machen erliche Gesellschaft mit  
einander, dergestalte, daß einer oder  
mehr Geld legen, der oder die andern  
thun die Arbeit, wenn sie alsdann  
scheiden wollen, so nimmt derjenige, wel-  
cher das Geld gelegt, den Haupt  
stuhl zuvor, und den Gewinn theilen sie  
zugleich. Ist aber kein Gewinn, so

theilen diejenigen miteinander, die das  
Geld zusammen getragen, die andern  
aber haben die Arbeit umsonst geban-  
det, III. tit. 9. a. I. SAM. STRYK ad  
Ius Lubeck. c. XI. nr. 60.

n) TELLER d. de divisione lucri & damni  
inter socios c. 3. §. 8. seq. STRYK  
exerc. XXII. th. 33.

o) L. 58. §. 1. 52. §. 4. n. h.  
p) Ref. Nor. tit. 18. leg. 6.

## §. XLVI.

Societas finita continuari, & dissoluta instaurari pot-  
est tam exprese quam tacite, semper tamen sub iisdem  
legibus, sub quibus contracta fuit\*, continuata & instaurata  
præsumitur; nunquam continuatio\*\* aut instauratio\*\*\* indi-  
git literis, licet his olim usi fuerint contrahentes. Si enim  
fen-

societas solo consensu, etiam tacito celebratur, nec scriptura ad illius substantiam pertinet, qua ratione socii, qui ad faciliorem probationem societatis initæ scripturam confecerunt, obligati queunt dici ad scripturam super continuatione aut instauratione societatis conficiendam q).

\* Sic pena priori societati apposita, in tacite renouata repetita censetur.  
HERTIVS de societate factō contractā  
sect. II. §. 9.

\*\* Ut si, finito societatis tempore, socius negotiator fortis retineat, & negotiationem modo, quo antea eam exercuit, continuet, reliquis taentibus nec contradicentibus.

\*\*\* Ut si quis sociorum fortē sibi traditam in eandem negotiationem iterum conferat, aut contra societatis dissolutionem protestetur, reliquis acquiescentibus V. HERTIVS c. d.  
sect. II. §. 3. 6.

q) MARTA digest. nou. To. III. tit.  
Societas c. XVI. f. 305.

### §. XLVII.

Quæ de instituenda actione pro socio, & exceptiōnibus huic opponendis, de iure unius socii in bonis alterius, & de beneficio competentiæ disponunt iura aut probarunt mores, itidem quæ de Societate *en commandite* momentanée notanda sunt, nec non quæ in hac uel illa societate celebranda seruari debeant cautions &c. ea nos uariis de causis moti ad aliud tempus differre cogimur, paucis iam significantes, quænam capita legibus, societatis contractui adiectis, determinari soleant.

### §. XLVIII.

Plerumque uero solent socii (1) de fortis inferendæ quantitate & operarum præstandarum qualitate, (2) de termino, a quo incipere & ad quem usque durare debeat societas, & cuinam, eo nondum præterlapsō, ad diuisionem prouocare liceat, (3) de nota societatis & ratione subscribendi literas sociales, *wegen der Signatur und Handschrift*, conuenire; atque hæc: (4) qua pena adficiendus, qui arca negationis prodidit aliis? (5) num omnium coniunctim, an unius tantum sociorum uel extranei cuiusdam debeat esse, negotiationem exercere, peregrinari,

nundinas frequentare, & sociales literas ad extraneos scribere? (6) num sociorum uni uel alteri, insciis reliquis, mutuam pecuniam sumere, aut fidem pro aliis interponere, itidem negotiationem a sociali separatam instituere liceat? statuere; porro (7) eum, qui inuentarium conficiat, rationesque reddat, nominare, additis legibus, quibus determinetur *tempus*, quo inuentarium confici & rationes reddi debeant, *fides*, quæ libris mercatoriis tribuenda, atque *honorarium*, quod librorum mercatoriorum conditori soluendum; nec minus (8) denotare uel socium uel alium, qui lucrum distribuat, addita norma, secundum quam facienda distributio, num scilicet æquas lucri & damni partes, & quasnam, simpliciter an relatiue sic dictas, facere, an lucrum & damnum diuerso modo distribuere, atque unum sociorum lucri, neutquam uero damni, participem reddere teneatur; (9) constituere, num lucrum, cuique adsignatum, plene soluendum, uel, uti mercatores loquuntur: *Ob der Handels-Gewinn iäbrlich und iedes mahl völlig zu theilen, oder etwas, um mehrere Frucht damit zu schaffen, in der Handlung bleiben soll;* dein (10) disponere, num, si tertius partes lucri & damni definiat, locus relinquendus reductioni ad arbitrium boni uiri, atque (11) arbitrum, qui dissidia inter socios oriunda componat, nominare, denique (12) tempus & modum, quo sortes & quæ supersunt socialia bona separentur, designare, simulque, num & qua ratione sortem in mercibus restituere liceat, definire. Dicta quodammodo illustrant formulæ, quas exhibent STR YK r) & ROHR s).

\* Paetum separationis raro purum est. Vix tamen conditionem intulit modus, quo dissolu debet societas Vnde si conuenient socii, ut dissolutio societas fiat cum divisione nominum, huius impedimentum illius impedimentum esse nequit. GASSER

c. VIII. obs. 14.

\* Libris, quos per alios condidit, commenta fides non habetur. ESCOBAR de rarioem, c. 12. nr. 1.

r) de C. Contr. sect. II. c. X. §. 20.

s) Vorrah allerhand auserlesenen Contracten XI, Abtheil. n. 186. p. 696. fq.

S. D. G.

KK 698

X 231 3770

Rehr 17.8.00 ✓

VD 17







*DISSE*  
*TATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA*  
DE  
**SOCIETATE MERCATORIA**

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
**ERNESTO AVGVSTO**  
DVCE SAXONIAE, IULIACI, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE RELIQVA  
SVMMO TOTIVS CAESAREI EQVITATVS PRAEFECTO, ITI-  
DEM LEGIONIS EQVESTRIS PARITER AC PEDESTRIS  
TRIBVNO CAESAREO

S V B P R A E S I D I O  
**IO. RVDOLPHI ENGAVII, D.**  
COD. ET NOVELL. P. P. O. CVRIAЕ PROVINC. ASSESSORIS  
SCABIN. COLLEG. SENIORIS ET FAC. IVR. h.t DECANI  
PATRONI ET PRAECEPTORIS SVI PIE DEVENERANDI

*PRO LICENTIA*  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES CONSEQUENDI  
AD D. VIII. IVL. A. O. R. MDCCXLVII.  
H. L. Q. C.  
ERUDITORVM EXAMINI PVBLICO SVBIICIT  
AVCTOR  
**IOACHIMVS TANCK**  
LVBEC.  
IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.